

infusus; proprie tamen, ac prout hæc vox est in usu, virtus theologica duo præcipue requirit, primo, ut principale objectum ejus sit etiam ipse Deus secundum se, vel secundum aliquod attributum illi proprium, ex quo præterea fit, ut homo solis suis viribus non possit in operando illi solum rationi niti, quia illa ratio operandi est omnino divina, et homo natura sua semper nititur rationi alicui humanæ. Et hinc oritur alia conditio virtutis theologicæ, quam D. Thomas assignat; nempe debere esse per se et natura sua infusam, atque adeo non posse naturali lumine, sed sola revelatione cognosci, quæ omnia magis eo usu Sanctorum, et communi theologorum sententia, quam alia ratione ostendit. Confirmatur tamen, nam virtus theologica importat virtutem, quæ Deum optimum, maximum attingit, unaquæque in suo genere, et ut a viatore attingi potest, tunc autem virtus perfecte attingit Deum quando et in illum tendit in seipso, et illi etiam tantum nititur. Confirmatur, quia perfectio virtutis sumitur, et ex materia, et ex formali objecto, et utrumque est in gradu perfectissimo in Deo ipso: virtus autem theologica est genus optimarum virtutum: ergo, etc. Ex quo etiam facile est intelligere divisionem virtutis theologicæ a Paulo assignatam, 1, Corinth. 13, in fidem, spem et charitatem, istæ enim Deum attingunt dicto modo, reliquæ vero omnes quamvis interdum respiciant aliquo modo Deum, ut religio; et similes, ab hoc numero excluduntur, quia vel non attingunt illum in se immediate, vel non illi tantum nituntur, de qua divisione et comparatione plura alio loco dicenda sunt: constat tamen ex dictis has virtutes sic explicatas, non pertinere ad divisiones supra positas, quia, ut diximus, loquebamur de virtutibus acquisitis.

4. *Virtutibus theologicis aliæ requisitæ respondent suo modo.* — *Sunt tamen morales.* — Sciendum tamen est in his etiam acquisitis aliquas esse quodammodo proportionatas theologicas, nam fidei respondet in naturali ordine virtutum sapientia, quæ virtus intellectualis est; charitati vero respondet amor Dei naturalis, quia, ut ego opinor, hic amor habitum generat, et inter virtutes acquisitas, quæ in voluntate sunt, primum habet locum: et fortasse etiam spei respondere potest in voluntate aliquis habitus, quo homo naturali sua virtute, si de divina sui providentia recte sentiret, felicitatem suam naturalem, et aliquod virtutis præmium ab illo speraret. Nihilominus hi habitus deficiunt ab illa ratione virtutis theolo-

gicæ, in suo tamen genere revera virtutes sunt, et generali voce *morales* dici possunt eo modo, quo omnes actus voluntatis ad mores hominum pertinent; philosophi autem, quia parum de Deo cognoverunt, eas tantum virtutes morales numerarunt, quæ ad vitam politicam spectant, atque eas virtutes, quæ ad Deum pertinent, omnes comprehendunt sub una voce *Religionis*. Patres etiam et theologo de his parum curant, quia de virtutibus supernaturalibus præcipue loquuntur.

5. *Ad tertiam difficultatem de habitibus acquisitis circa objecta supernaturalia.* — In tertia difficultate nonnihil petitur de habitibus acquisitis circa objecta supernaturalia, ut est fides humana articulorum fidei, et amor quidam naturalis, et imperfectus bonorum supernaturalium, esse enim in nobis hujusmodi actus, et generare habitus evidens est experientia. An vero ipsi virtutes sint dicendi, controverti solet. Scotus, 3, distinctione 26, et alii, ac Nominales etiam dicunt illos esse virtutes theologicas. Cajetanus vero, in 1, 2, quæstione 62, articulo 3, omnino negat esse virtutes, quia sunt improprietati suis objectis. Mihi tamen primo videtur non esse virtutes theologicas, ut ex dictis patet, quia non habent rationem formalem divinam. Secundo fides etiam non est virtus intellectualis, quia licet ex parte materialis objecti non possit illi subesse falsum in aliquibus actibus, tamen ex vi objecti formalis, potest subesse: quia simpliciter est fides humana, cum humanis tantum testimoniis nitatur: unde verisimile est hæreticum eodem habitu credere eas veritates fidei, quas retinet, ac suos errores, quia omnia credit suo judicio, et illis testimoniis, quæ vult, ut in materia de fide diximus. Tertio videtur certum actus talium habituum posse et sæpe esse moraliter bonos, vel per seipsos, si sint actus voluntatis: vel per denominationem ab actibus voluntatis, si sint actus intellectus: hoc patet, quia licet non sint actus perfecti, nullam tamen habent malam circumstantiam, et alias habent bona objecta, et prudenter fieri possunt, quia non semper est imprudentia non operari optimo modo. Ultimo concludo habitus prædictos posse dici ad morales virtutes pertinere, quia sunt habitus elicientes actus per se bonos, et ita constat eo modo, quo virtutes sunt, ad quod genus virtutis pertinere possint.

SECTIO VI.

Utrum ad rationem virtutis pertineat in medio consistere.

1. *Notatio prima pro decisione.* — *Notatio secunda.* — *Notatio tertia.* — De hac re tractat divus Thomas, 1, 2, quæstione sexagesima-quarta, numerans hanc conditionem inter proprietates virtutis: attamen quia magis videtur pertinere ad formalem effectum et essentiam ejus, hic expeditur commodius. Advertendum igitur est primo, in virtute morali esse habitum ipsum materiam, in qua versatur ratio honestatis, quam in objecto respicit: et circumstantias, quæ interdum sunt veluti conditiones essentielles, interdum accidentia, vel ex parte operantis, vel ex parte operationis, vel modi operandi, et in his omnibus videndum est, quomodo virtus medium teneat. Secundo advertendum est distinguere duplicem modum, quo virtus consistit in medio, scilicet *essentialiter* et *causaliter*: primum significat ipsam esse medium quoddam inter duo extrema: secundum, ipsam efficere, ut homo in aliis medium servet. Tertio advertendum est cum duplex sit medium, vel per negationem utriusque extremi, vel per participationem, in virtutibus non esse constituendum per participationem, sed potius per negationem cum quadam contrarietate ad ipsa extrema, quæ turpia esse debent, atque adeo honestati virtutis contraria, ex quo etiam constat virtutem, ut honesta est, non indigere medio, sed potius tendere in extremum, id est, in optimum, quod facere potest juxta illud Aristotelis: *Virtus est dispositio perfecti ad optimum.*

2. *Prima assertio.* — Dico primo habitum virtutis sæpe esse medium inter vitia extreme contraria: hoc tamen necessarium non esse in omni virtute, colligitur ex Aristotele, 3, Ethicorum, et D. Thoma, 1, 2, quæst. 64, art. 2. Prima pars constat in formidine, temperantia, liberalitate, etc. Posterior pars, inquit Cajetanus ibi, et bene, constat in justitia, cui non opponuntur duo vitia contraria, est enim ratio justitiæ reddere unicuique quod suum est: non ergo peccat contra justitiam nisi auferendo alteri quod suum est, vel retinendo ablatum: retribuere autem alicui plus quam sit suum, si illud, quod tribuitur, bonum est, non erit contra justitiam, quamvis fortasse esse possit contra aliam virtutem. Si vero illud sit malum, jam inferre alteri nolenti, injustum

est, quia est contra bonum quod per illud malum auferitur, unde etiam in tantum hoc est contra justitiam, in quantum auferit alteri, quod suum est; quocirca etiam in justitia vindicativa, crudelitas, quæ videtur contraria per excessum, proprie est per defectum: nam licet sint distincta vitia, vel non punire quantum oportet, vel plus quam oportet, tamen illud primum non est contra justitiam vindicativam Dei, tametsi esse possit contra justitiam Deo debitam ex officio, quia privat illum suo jure, et sic manet responsum Buridano, 5, Ethicorum, quæstione decima-tertia, dicenti justitiæ opponi duo vitia contraria, nam plus tribuere (inquit ille) quam æquum sit, est contra justitiam per excessum, et non tribuere debitum, est contra justitiam per defectum; excessus enim ille ad justitiam non spectat. Ad confirmationem, quam adducit ex illo Ecclesiast. 7: *Noli esse justus nimium*; respondetur quod vel non est sermo de justitia, ut particularis virtus est, vel solum docetur eo loco, non oportere semper et in omnibus rigorem justitiæ servare, vel, ut vult Augustinus, tract. 95, in Evang. Joannis, nimirum justus ille dicitur, qui superbe de justitia sua præsumit, et rationem subdit Sapiens, *non est justus in terra, qui non peccet*: ratio vero totius conclusionis patebit ex statim dicendis.

3. *Secunda assertio.* — Dico secundo. Virtutes morales per se, et quasi formaliter ponunt medium in propensione appetitus: effective vero in actibus ejus, objective denique in materia et circumstantiis. Regula autem hujus medii semper dicitur esse recta ratio: sumitur tota hæc conclusio ex Aristotele 2, Ethicorum, cap. 6, ubi propterea definit virtutem in mediocritate consistere, idem D. Thomas, in hac quæstione. Et ut explicetur notandum est, omnem virtutem moralem esse perfectionem appetitus, et ut Augustinus, de Moribus Ecclesiæ, cap. 19, dixit, est etiam rectitudo moris unde per se ipsam virtus inclinatur appetitum ad operandum prout oportet, et hoc est per se ipsam formaliter ponere medium in affectu appetitus, et in illa propensione, quæ quasi in actu primo consideratur in voluntate. Ex quo etiam oritur virtutes efficere actus appetitus moderatos; hæc autem mediocritas provenit ex objecto debitis circumstantiis affecto, a quo tota ratio honesti et virtutis sumitur, ut supra diximus, ubi etiam ostendimus ultimam partem conclusionis, nempe regulam hujus honestatis et mediocritatis esse rationem rei: unde confirmat D. Thomas conclusionem, quia ratio

virtutis in hoc consistit, ut attingat objectum eo modo, quo recta ratio dicat, atque adeo, ut nec excedat, nec deficiat. Si ergo quis prosequatur objectum, quando ea non concurrunt, quæ ad virtutem necessaria sunt, peccat per excessum contra regulam rationis: si vero propositis omnibus necessariis ad opus virtutis, aliquis non operetur, peccat per defectum: omnis autem virtutis efficit medium inter hæc duo extrema, nam illa duo in omni virtute considerari possunt: ergo, etc.

4. *Quatuor difficultates subortæ ex dictis.* — Sed oritur prima difficultas, quia ex dictis sequitur semper positivum vitium esse contrarium virtuti per excessum, et nullum esse per defectum, præter omissionem, quæ in negatione consistit. Consequentia patet ex ratione proxime facta, et quia etiam vitium positivum inclinatur ad opus, hoc enim est de ratione positivi habitus, et inclinatur, quando non oportet, alioquin non esset vitium patetque inductione, nam avaritia inclinatur ad amandum pecunias plus quam oportet, et ad retinendum quando essent largiendæ. Secunda, quia sequitur ex dictis eodem modo esse medium in justitia, quæ est ad alterum, atque in aliis virtutibus moralibus, quod est contra D. Thomam, supra, art. 3. Tertia, quia sequitur non aliud esse medium in virtutibus theologis, quam in aliis; nempe vel non credendo quot oportet credere, vel plura, quæ non oportet credere. Quarta, quia sequitur similis difficultas de virtutibus intellectualibus.

5. *Satisfit primæ difficultati.* — Ad primam difficultatem dici potest unum genus medii in virtutibus, esse quidem illud, quod in argumento insinuat, sed non sufficere ad salvandum ea, quæ Aristoteles et D. Thomas docent de medio virtutis, nam per se, et sola illa ratione non generantur vitia positiva extreme contraria virtuti per excessum et defectum. Dicendum ergo in virtutibus moralibus esse considerandum id, ad quod per se primo unaquæque virtus refertur, nam respectu illius spectanda sunt vitia extrema, ut in liberalitate, primarius finis est ita moderari affectum divitiarum, ut inclinet ad erogandum illas prout ratio dictaverit, unde vitium quod quasi retrahit a liberali usu divitiarum, censetur contrarium tali virtuti per defectum, quia impedit illam a principali actu ejus, quamvis negari non possit dici etiam alia ratione tale vitium excessum amoris erga divitias, sicut etiam nimis timor, excessus quidam timoris est, tamen, ut repugnat fortitudini, opponitur

illi per defectum, quia non auget, sed tollit potius inclinationem ejus. Ad positam ergo rationem in forma negatur sequela, ad probationem concedo esse positivum vitium inclinare ad aliquem actum saltem interiorem faciendum, prout non oportet: dico tamen hujusmodi actum semper esse quasi defectum virtutis, quia retardat illam, non autem plusquam oportet inclinatur.

6. *Satisfit secundæ. — Discrimen unum inter justitiam et alias virtutes morales.* — Ad secundam difficultatem dico justitiam convenire cum aliis virtutibus moralibus, quia etiam habet suum medium, quod per rectam rationem mensurari debet, suas etiam circumstantias requirit: et licet sit, ad alterum tamen suo modo consistit in actibus, et objecto appetitus: differunt vero, quia virtutes morales, quæ versantur in passionibus, servant medium per ordinem tantum ad ipsum operantem, in justitia vero medium sumitur ex ipsa re, quæ alteri debetur, propter quam differentiam dicit D. Thomas citatus, ex Aristotele 2, Ethicorum, capite sexto, medium justitiæ esse medium rei: medium vero temperantiæ, vel similium virtutum, esse medium rationis, quidquid dicat Buridanus, qui tamen de modo loquendi disputat: non enim est dubium, quod in temperantia etiam medium debeat esse aptitudo rei, non enim tale aliquid medium est, quia ratio dicat, sed potius, quia in re ipsa medium est, ideo recta ratione judicatur tale. Et eodem modo certum est, medium justitiæ per se loquendo, consistere in æqualitate rei ad rem, et ideo vocari medium rei: medium autem aliarum virtutum considerari ex proportionem, quam habet cum operante: unde etiam fit, ut medium justitiæ, per se loquendo, sit idem in omnibus, quamvis fortasse ex ignorantia, vel ex aliqua conditione personæ, vel alia difficultate occurrente variari possit: in aliis vero virtutibus verum est, medium esse varium, et multiplex circa qualitates et conditiones personarum, et ideo est medium magis occultum, quod sola ratione discerni debet, et propterea vocatur medium rationis.

7. *Discrimen alterum.* — Ex quo oritur alia differentia inter justitiam et alias virtutes: nam justitia per se inclinatur ad tradendum unicuique quod suum est, cui duo possunt esse extreme contraria, nempe vel plus dare quam sit suum, vel tollere, quod illius est: hæc tamen duo tametsi in ratione rei sint extrema, tamen non in ratione virtutis et vitii; et ratio est, quia justitia attendit rationem debiti, cui

rationi non sunt contraria illa duo extrema, ut per se constat. Unde D. Thomas 2, 2, quæstione 79, articulo primo, indicat hoc medium justitiæ, quasi compleri quadam negatione, videlicet, ut nihil fiat contra jus alterius, et hinc oritur et liquet quod supra, n. 2, in prima conclusione proposuimus.

8. *Objectio contra nunc tradita dissolvitur.* — Objicies. Si quis alteri reddat, quod est suum, non tamen quando et quomodo debet, operabitur contra justitiam. Respondetur illum circumstantiarum defectum posse interdum esse contra ipsam rationem justitiæ, et tunc actus erit contra justitiam per defectum: vel posse esse contra aliam virtutem, et solum repugnare justitiæ secundum communem rationem virtutis, tunc autem quamvis actus ille simpliciter non sit honestus, quia licet efficiat justum, non autem juste, tamen non habebit malitiam proprie contrariam justitiæ, sed prudentiæ, vel alicui alteri virtuti. Si opponas divinum Thomam, 1, 2, quæstione sexagesima-quarta, articulo primo, ad 3, dicentem peccare per excessum contra virginitatem illum, qui propter vanam gloriam virginitatem servat, sicque posse peccatum per excessum committi quodcumque additur mala circumstantia, quamvis diversæ virtuti contraria, respondebimus quod ad virginitatem attinet non videri illud necessarium, cum virginitas alio modo possit habere medium: ut si quis velit se continere contra officium statui, vel naturæ debitum, erit peccatum per excessum. Secundo respondebimus operationes unius virtutis cum circumstantia contraria alteri virtuti proprie dici a D. Thoma vitium per excessum, quia omnis virtus inclinatur ad operandum sine detrimento alterius virtutis, et ideo opus illud esse supra inclinationem virtutis, atque adeo habere quemdam modum excessus, quamvis proprie non oporteat in illo opere esse peculiare vitium oppositum tali virtuti per excessum. Ex quibus tandem concluditur, quod licet in omni virtute morali possit designari medium inter extrema ex parte materiæ et circumstantiarum, non esse tamen necesse in extremis ipsis reperiri semper malitias contrarias tali virtuti, quia alterum extremum potest esse extremus terminus illius virtutis, non tamen illi repugnare, nec ei deberi honestatem talis virtutis.

9. *Satisfit tertiæ difficultati.* — Pro tertia difficultate, quoniam habere potest locum in quibusdam habitibus acquisitis, et in nonnullis virtutibus moralibus, sciendum est Sco-

tum, 3, distinctione vigesima tertia, et Durandum, distinctione vigesima-septima, et alios velle has virtutes etiam consistere in medio, sed fere nihil differunt a doctrina D. Thomæ, supra, articulo quarto, dicentis has virtutes secundum se non habere medium, habere vero ratione nostri, seu per accidens. Cujus sensus est si consideretur in his virtutibus objectum earum, quantum est ex hac parte, non habere medium, quia objectum est infinitum, et virtus nunquam adæquatur tali objecto, ut charitas non amat Deum, quantum ipse est amabilis, propter quod dicitur de modo charitatis, quod sit *sine modo diligere*, et idem est de fide et spe, servata proportione, et quia objectum est prima regula virtutis: ideo D. Thomas ait has virtutes secundum se, id est, ratione sui objecti formalis et principalis, non habere medium, ex parte tamen nostra requirunt sæpe modum, seu medium ex circumstantiis, quia non semper expedit homini talium virtutum actus exercere, vel non tanto conatu, etc., ex parte etiam materialis objecti secundarii, possunt nonnullum medium habere: sic charitas amat proximum in certa mensura et modo, et idem facile applicari potest ad reliquas virtutes: et quæ de his virtutibus hic dicuntur, suo modo etiam habent verum in quibusdam virtutibus, quæ Deum ipsum attingunt, non proxime tanquam objectum quod, ut theologica, sed mediate tanquam objectum cui, ut religio, et poenitentia, quæ satisfacit Deo pro injuria illata: ex qua parte non habet terminum, sed posset magis et magis satisfacere, et idem est de religione, propter quod dicitur Eccles. 43: *Exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude.*

10. *Satisfit quartæ.* — Ad quartam difficultatem de virtutibus intellectualibus D. Thomas, supra articulo tertio, etiam vult eas consistere in medio, non quia oportet his virtutibus semper esse duo vitia intellectualia contraria per excessum et defectum: sed ex parte objecti potest hæc ratio medii aliquo modo explicari: nam si in virtute consideremus subjectum ejus, excessus erit tribuere tali subjecto, quæ illi non conveniunt: defectus vero, negare quæ conveniunt: medium, ea quæ illi vere insunt cognoscere: si autem consideremus ipsam veritatem cognitam, excessus, inquit D. Thomas, erit contraria veritati sentire, defectus eam veritatem, vel negare, vel ignorare: ex parte vero personæ in his virtutibus non sumitur proprie medium, quia, ut supra dictum est, non præbent rectum usum in or-

dine ad quem considerantur circumstantiæ. Posset tamen quodammodo considerari medium in his virtutibus ex parte formalis objecti, et suo modo circumstantiarum, consistetque in hoc, ut eo modo assentiatur veritati; prout requirit tum ratio, sub qua proponitur: tum modus, quo proponitur, ita ut nec incerta credantur tanquam certa, nec in credendis certis, vel probabilibus sit homo difficilis: verum est tamen totam hanc rationem magis pertinere ad has virtutes, quatenus a voluntate pendent.

11. *Extenditur proxima doctrina ad artem et prudentiam.*—Et juxta hæc assignari facile poterit medium arti, et prudentiæ, quæ etiam consistunt in medio, fere ad eum modum, quo cæteræ virtutes morales. Nam quod prudentia definit, illud est medium in reliquis virtutibus, illa enim est regula et mensura mediorum in reliquis, ipsa autem ex principiis moralibus, et ex rebus in quibus versatur, rationem medii sumit: virtutes enim appetitus, quia in inferiori potentia sunt, possunt per virtutem supremæ potentiæ dirigi et regulari: ipsa autem virtus supremæ potentiæ, non potest isto modo ab alia dirigi, et ideo prudentia ex principiis propriis et ex objectis regulanda est. Quapropter non probo quod quidam dicunt regulam prudentiæ esse appetitum rectum, divus enim Thomas negat, et merito, cum potius prudentia sit regula appetitus recti, nec enim illa recte judicat, quia appetitus rectus est, sed potius appetitus est rectus, quia appetit id quod vere judicavit prudentia, verum est tamen quoad nos, rectum appetitum finis posse quodammodo dici regulam judicii circa media quatenus est quodammodo principium ejus, ut supra nulla de bonitate morali explicuimus, et amplius statim dicemus.

SECTIO VII.

In quo subjecto sint hæc virtutes.

1. *Expediuntur causa formalis et finalis virtutum.*—Quæ hactenus dicta sunt pertinent ad essentiam virtutum, et effectus formales earum explicando, jam restat, ut agamus de causis virtutis: formalis vero et finalis non indigent explicatione. Vide D. Thomam 1, 2, quæst. 53, art. 4, nam ipsa virtus est ipsa forma, et objectum, quod quodammodo est forma ejus, ut idem D. Thomas, quæst. 58, art. 2, ait, vel potius est finis, ut jam explicatum est,

actus etiam virtutum sunt fines illarum, de quibus diximus in materia de bonitate.

2. *Suppositiones pro causa materiali.*—Vide auctorem, libro 3, de Angelis, cap. 12.—Igitur quod ad materialem causam attinet, primum supponimus solum hominem esse subjectum harum virtutum, quia solus ille est, qui illarum est capax et illis indiget, quamvis in hac re sit controversia inter Cajetanum, 1, 2, quæst. 56, articulo quinto, et Scotum, 3, dist. 33, nam Scotus tribuit etiam Angelis habitus et actus talium virtutum, Cajetanus vero etiam habitus negat: fortasse tamen verum est Angelum habere posse actus continentes honestatem prædictarum virtutum, vel quia habere possunt actus conditionatos, ut Scotus arguit: vel etiam quia possunt amare honestatem earum, et suorum objectorum per se absque alio proximo motivo: hoc tamen modo dicemus infra non oportere illos ponere in Angelis, quia nullam in hoc habent difficultatem, ut habetur in propria materia. Secundo suppono hos habitus solum posse esse in potentiis participantibus rationem, quod etiam docet Aristoteles 1, Ethic., cap. ult., et lib. 2, cap. 6, et patet satis ex dictis, disp. 44, Metaphys., de Habitibus in communi. Tertio suppono, quod inter omnes constat, prudentiam et virtutes intellectuales esse in intellectu, ut in subjecto. Quarto addit D. Thomas 1, 2, quæst. 56, art. quinto, interiorum sensum (si tamen capax sit alicujus habitus, ut supra dixi) non proprie esse subjectum virtutis: et quidam rationem reddunt, quia sensus interior omnino obedit motioni rationis, et ideo habitus qui illum disponunt, ut rationi obediat, non habere rationem virtutis, quæ requirit aliquam indifferentiam: sed fortasse in hoc nulla differentia est inter appetitum et phantasiam: D. vero Thomas aliam rationem reddidit, quia videlicet virtus tantum est in potentia, in qua consummatur opus virtutis, habitus vero qui sunt in sensu, non perficiunt opus ad quod ordinantur, sed solum disponunt, ut intellectus bene perficiat opus scientiæ et intellectuales virtutes. Quæ ratio probabilis est præcipue cum quæstio sit tantum de modo loquendi, et maxime habet locum in virtutibus speculativis: nam de prudentia potest esse aliquod dubium.

3. *Prima opinio.*—His positis tota difficultas quæstionis versatur in virtutibus moralibus, an sint in appetitu, vel in voluntate. Prima sententia distinguit alias virtutes esse operationes, quæ referunt ad aliud: et has

ponit in voluntate: aut virtutes esse operationes, quæ respiciunt solam rectitudinem operantis, et has ponit in appetitu sensitivo, ita D. Thomas, et Thomistæ communiter, et Albertus 3, dist. 23, art. 2, Durandus, quæst. 5, referturque Aristoteles, 2, Ethic., cap. ult., et lib. 2, cap. 3, et lib. 3, cap. 10, ubi quasdam virtutes ponit in potentiis rationalibus, alias in irrationalibus. Prima pars sententiæ est certa, fundamentum vero est, quia voluntas non indiget his virtutibus: appetitus vero indiget. Primum patet quia voluntas natura sua est satis propensa ad bonum rationis et ipsius operantis, nec in illa sunt passionem, nec proclivitas ad malum. Secunda vero probatur, quia appetitus est omnino propensus ad sensibilia, et ab illo manat tota difficultas, quam in operando honestum experimur: unde formalis effectus istarum virtutum est moderatio passionum; ergo sunt ubi passionem. Confirmatur, et explicatur exemplo: nam si quis insideat equo, et illum recte gubernet, et regat, indiget tamen prudentia et arte, non freno, hoc enim indiget equus: ergo similiter, etc.

4. *Secunda opinio.*—Secunda sententia ponit virtutes omnes in voluntate. Est communis theologorum 3, dist. 33, ubi Bonaventura, Richardus, Scotus et Ocham, quodlibeto 2, Henricus, quodl. 4, quæst. 22, Buridanus, in illis locis Ethic. Ex quibus alii ponunt eas in voluntate, et omnino negant in appetitu: alii, ut Buridanus, in utraque potentia, ita vero ut non sint diversæ virtutes: alii unam et eandem virtutem in utraque potentia, ut Aureolus apud Capreolum 3, d. 33.

5. *Prima assertio.*—Dico primo omnes virtutes morales per se primo esse in voluntate. Probatur primo: nam actus istarum virtutum sunt elicit a voluntate: ergo generant in illa virtutis habitum. Antecedens patet tum ex Aristotele 2, Ethic., cap. 5, dicente virtutis actum esse electionem boni: electio autem actus voluntatis est. Item actus virtutis moralis est idem ac actus moraliter bonus, et qui versatur circa honestum, ut honestum, quæ sane conveniunt actui voluntatis. Consequentia patet, quia actus generant habitum in potentia a qua eliciuntur, si illa sit capax; voluntatem autem esse capace. Probatur, quia voluntas se ipsa, et naturali sua inclinatione propensa est ad omne bonum hominis, sive illud ad corpus, sive ad animam pertineat: ratio est, quia voluntas hominis non est sicut voluntas Angeli, consequitur enim animam rationalem, ut talis est, et ideo sicut anima natura sua

refertur ad corpus, ita voluntas natura sua appetit bonum hujusmodi corporis; et hoc modo solet distinguere voluntas etiam a divo Thoma, ut voluntas, et ut natura, qua ratione dicitur fugere omnia incommoda corporis: hinc etiam est, quod naturaliter refertur ad bonum ipsius appetitus sensitivi, ut experimur. Ex quo intelligitur in voluntate ipsa reperiri inclinationem naturalem, quæ possit reddere difficiles actus ad bonum rationis, nam in ipsa est quædam inferior pars, et ideo appetere honestum in quantum est contra bonum corporis, bonum est ipsi voluntati, non tantum propter appetitum, sed quia intrinsicum est inclinationi ejus. Confirmatur: nam fingamus appetitum sensitivum tolli, vel non appetere naturaliter, adhuc voluntas fugeret mortem, vel appeteret divitias, vel alia utilia, ad commodum corporis: et quamvis quædam sint bona, quæ sunt veluti intrinsece in appetitu sensitivo, ut est sensibilis delectatio, vel dolor; attamen hæc comparantur voluntati, tanquam objecta, et ideo oportet voluntatem recte affici, et componi in ordine ad hæc objecta, quia homo non fit rectus in se, quia mutat objectum virtutis, sed quia ipse recte conformatur in ordine ad tale objectum. Ex quibus conficitur argumentum, nam illa potentia est capax habitus, quæ propter multiplicem inclinationem est ita indifferens, ut ad particularia objecta non sit satis determinata per se ipsam, et ideo in hujusmodi appetendis potest difficultatem pati, hujusmodi autem est voluntas, ut dictum est: ergo.

6. Secundo arguitur. Demus difficultatem provenire ex appetitu sensitivo, ipse tamen appetitus nunquam ita recte componitur suis habitibus, quin objectum virtutis semper maneat absolute difficile: ergo semper voluntas indigebit virtute, ut videlicet appetitu moderato suo modo, et voluntate roborata sua virtute, totum opus virtutis sit simpliciter facile. Et ad hoc confirmandum valet multum discursus D. Thomæ, quæst. 56, art. 4, quia ubi est movens et motum, oportet utrumque recte esse dispositum, ut recte fiat motus, imo, ut Aristoteles ait, 1, Politic., cap. 3, magis necessaria est virtus in movente, quam in subdito. Quod etiam confirmatur experientia: nam experimur voluntatem ipsam in hoc regimine appetitus, non esse æque facilem in principio et progressu virtutis, quia revera de se indifferens est ad bene et male movendum, quod sufficit ad acquirendum habitum, quo postea quasi naturaliter bene moveat et gubernet appetitum,